

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

VII. Oratio et gratiarum actio.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Et ait : Nunc, Domine, simplex et nuda sum mens, tu sponsus decorus gloria, interminabilis vitæ communicatio nostra fit nunc intolerabilis inquieti ardoris, et amoris quietissimum silentium, juxta desideratam voluntatis utriusque voluptatem. Ipse se sponsæ et sponsa se sponso communicat, quid sibi tunc eveniat non ignorat, et hæc est consolatio quam exoptat. Brevis est hæc morula, ubi dilectus cum dilecta occulte convenit. Oportet ut inseparabilis separatio frequenter interveniat et indivisos disjungat.

O amice Dei, hanc tibi amoris viam descripsi; quam Deus dignetur inscribere cordi tuo! [Amen.]

VII. ORATIO ET GRATIARUM ACTIO.

V. 17.

AVE Deus vivens, tu es præ omnibus rebus meus, hoc est mihi ineffabile gaudium, quod sine calumnia valeo loqui tecum. Cum insequentes hostes me exagitant, inter brachia tua confugio; ubi omnes molestias effugio, cum te inclinas meo desiderio? tu scis quomodo animæ meæ chordas soles tangere; eia confestim hoc incipe [quatenus te semper beatum esse oporteat]. *Rex et sponse meus carissime*, sponsa sum ignobilis, tamen tu sponsus meus legitimus et amabilis; unde exultat mens mea mirabilis. Memento quomodo mundam animam in tuo foves gremio, et perfice hoc [Domine] in me continuo, licet indigna sim omnino. Eia, trahe me sursum ad te, Domine, et ero munda et clara *in tuo lumine*; si dimiseris me, in meipsa remanebo gravis et tenebrosa.

DE INTOLERABILI VERBO SALUTATIONIS.

V. 18.

AD hæc respondit Dominus: Mea resalutatio sic est magna, quam si secundum meam effunderem in te potentiam, nequaquam mortalem retineres vitam. Tu vides quia est necessarium quod meam contineam potestatem et abscondam claritatem, ut in hac vita tuam detineam morta-

litatem; nam ad hoc tendit tua dulcedo in æternæ dignitatis excessu, et chordarum mearum harmoniam tibi resonabit, prout amoris tui fidelis longanimitas promeruit. Interim animam tuam cœlestium chordarum symphonia temperabo, ut possis æquanimius expectationis diutinæ tædia tolerare. Oportet namque illustres sponsas ac nobiles milites cum pretioso apparatu divitius ac solemnitus præparari.

Anima veritatem experta sic locuta est: Domine, corpus meum mortuum est, amota et elongata a me omni sensibili pravitate; propter quod inimici tui a facie sua me tamquam cadaver fœtidum projecerunt: [sed, Domine,] anima mea vivit in te, unde diligentes te diligunt me. Eia præcordialis sponse, mi dulcis Jesu Christe, ego sine intermissione in medio cordis mei pono signaculum crucis tuæ, ut contra omnia terrena sit mihi obstaculum et munimen, rogoque te ut extra hæc omnia me custodias impermixtam; nam quantumcumque sancta, me tamen valde extra te movent; quod quia sustinere non valeo, toto conamine ab ipsis discedo.

VIII. ORATIO AD PATREM ET FILIUM ET SPIRITUM SANCTUM.

DOMINE Jesu Christe, qui es fons affluens de corde Patris tui sine initio, natus de purissima Maria virgine *tempore præfinito*, qui cum Patre et Spiritu Sancto [unus spiritus,] una es voluntas, una sapientia, una potestas, una summa virtus, omnibus prædicans sine fine. Domine, Deus æterne Pater, quia ego omnium indignissima de corde tuo *per creationem* processi, et, o Domine Jesu, quia de latere tuo *per redemptionem* sum genita, et de utriusque Spiritu purificata, invoco te in tribulatione dicens: Domine Pater cœlestis, tu es Deus cordis mei; Domine Jesu Christe, tu es redemptor vitæ meæ; Domine sancte Spiritus, tu es sanctificator animæ meæ; et tu, o beata Trinitas, es unicum refugium meum et mea requies æterna.

V. 6.

Deus conversus ad animam dixit: Tu es fundamentum gratiæ effluentis, tu es gloria virgineæ castitatis, flos excelsæ

V. 7.